



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Metaphysicam, id est, Scientiam de Ente incorporeo, seu
transnaturali

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

XIII. An omni intellectioni creatæ essentielle sit, vt cum verbo cohæreat?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95247](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95247)

absens est, atque ita significant rem, cum præsens est, ut etiam absentem possint significare, mirandum non est, quod actus sensuum exteriorum Verba non dicantur, sicut actus intellectus, & quodammodo etiam Phantasia Verba solent nominari. His accedit communis loquendi usus his posterioribus actibus, & non illis Verbi significationem accommodans: atque hic usus, ut alia rationes deessent, ad acceptionem illam Verbi tuendam sufficeret. Tandem Verbum intellectus quintupliciter accipi posse ex Augustino probat Gabriel in 1. dist. 27. quæst. 3. quem, si lubet, consule. Ex dictis ergo hactenus, facile est respondere ad quæstionem titulo capitis præstitutam: si quidem solum Verbum interius intellectus nostri est intellectio passiva, de qua supra, quænam autem sit eius Verbi ab aliis differentia patet ex eius & aliorum Verborum explicatione toto hoc capite tradita.

CAPUT XIII.

An omni intellectiōi creata essentiale sit, ut cum Verbo cohereat.

146 **N**egative respondent Capreolus in primum distinct. 27. quæst. 1. Caiet. 1. parte quæst. 27. art. 1. Ferrara primo contra gent. cap. 5. Et communiter reliqui Thomistæ. Primum quia verbum ob id necessarium est, ut intelligenti obiectum repræsentetur, siue præsens efficiatur: cum igitur intellectus, & phantasia res absentes cognoscunt, sanè eiusmodi rerum verba non habere non possunt: haudquaquam enim cognosci possunt absque eo quod utrique illi facultati repræsententur: quando autem tales res in seipsis immediate absentes, & non præsentes sunt, necessum est ut medio illarum Verbo præsentes fiant, ut dictum est. At hæc ratio non militat in intellectu humano, aut Angelico cum seipsos immediate, aut cum essentiam diuinam intime præsentem clare intuentur; nec etiam in sensibus externis, qui obiectorum suorum præsentiam physicam possulant: Vnde nec intellectus Angelicus, aut humanus cum seipsum, aut cum Deum clare intuetur, Verbum formabit; nec etiam sensus exteriores obiectorum suorum verbum ullum, aut similitudinem, speciemve expressam habebunt: haud igitur omnis intellectio cum Verbo, haud etiam, quod plus est, omnis cognitio non intellectiva cum specie expressa cohereat.

147 **A**rguunt secundo Thomistæ. Beatus videt immediate diuinam essentiam: videt enim eam sicut est, quod est eam immediate videre: at non immediate, sed mediate eam videret, si videns Deum formaret de eo verbum, siue similitudinem speciemve expressam: ergo &c. Maior videtur perspicua. Minor suadet: quia dato alicuius rei Verbo, in eo tanquam in speculo & idolo obiectiuo res apparet: nec alia verbi, siue speciei, ac similitudinis expressæ necessitas, aut utilitas esse potest: Deum ergo per verbum de eo formatum videre est eum non immediate, sed mediate intueri.

Arguunt tertio ex Augustino lib. 15. de Trinit. c. 9. ubi illud Apostoli videmus nunc per speculum, & in enigmate, tunc autem videbimus facie ad faciem, ita explicat; cum igitur speculi & enigmatis nomine quæcunque similitudines ab Apostolo significata intelligi possint, quæ accommodata sunt ad intelligendum Deum eo modo quo potest; nihil tamen est accommodatius,

quam id quod imago eius non frustra dicitur, &c. Tum sic: nomine speculi, & enigmatis intelligit Augustinus similitudinem, speciemque expressam, siue verbum: tam ergo sentit, siue verbo nos Deum intuituros, quam quod cum iuxta doctrinam Apostoli visuri sumus, & non per speculum, nec in enigmate.

148 **A**rguunt quarto ex B. Thoma 1. p. q. 12. art. 2. ubi expressè videtur negare, Deum videri posse per similitudinem creatam, aut, quod perinde est, per verbum: quid clarius illis eius verbis in corpore articuli paulò antè eius medium, sed ex parte visæ rei, quam necesse est aliquo modo uniri videnti per nullam similitudinem creatam Dei essentia videri potest. Quam propositionem variis rationibus probat, ac tandem sic concludit corpus articuli, non autem per aliquam similitudinem creatam Dei essentia videri potest, quæ ipsam diuinam representet, ut in se est.

149 **A**rgues quintò pro eadem sententia ex doctrina Nominalium: si qua ratione Beati viderent Deum intuitivè, & clare, haud sine Verbo, maxime quia visionem beatificam in se immanenter producant: visio autem ita ab eis in se producta nequit non esse similitudo, & imago siue species expressa, verbumque verum: at hæc ratio est nulla probabilis enim est beatos visionem Dei non tam in se producere, quam à solo Deo recipere: tum quia non producant efficienter lumen gloriæ quod est imperfectius visione: hanc ergo, quæ est perfectior à fortiori in se non efficiunt: tum quia si eam efficienter, se bearent: iustos autem non à se sed à solo Deo beari exploratum videtur: item quia alioqui possent pro libito Deum non videre: ut enim alias actiones suas possunt cum volunt cohibere, quidni & visionem beatificam, eius si sunt causæ effectivæ: denique quia visio Dei est præmium beatorum: præmiantis autem non vero eius qui præmiatur proprium est præmium conferre & efficere.

150 **P**ostremo argui potest: visio Dei non est aliqua entitas media inter intellectum illustratum lumine gloriæ, & essentiam diuinam: quin potius est aggregatum, complexumve ipsius luminis gloriæ, & essentia diuinæ: nulla igitur in vidente Deum datur similitudo Dei expressa, atque producta ab ipso, ac proinde nec verbum ullum. Hæc consequentia est perspicua: siquidem in intellectu beati nulla Dei similitudo, siue repræsentatio formalis diuinæ essentia præter eius visionem beatificam datur: hæc autem supposita veritate antecedentis ab eo non exprimitur, nec producitur: cum non aliud sit quam aggregatum luminis gloriæ, quod à beato non efficitur, sed ei absque propria efficacia infunditur, & essentia diuinæ, quæ simili ratione à nullo efficitur, nec est effectibilis.

151 **A**ntecedens autem argumenti suadet: quia possibile est intellectio, ac visio aliqua consistens formaliter in qualitate intellectui intrinseca, & ipsomet obiecto viso, ita ut præter utriusque aggregatum, haud importet aliud quidquam, quod à nobis admixtum probatumque est supra cap. 8. talis ergo censenda est visio beatifica: tum quia beatitudo nostra formalis, & immediata hac ratione erit longè perfectior, ut potè quæ Deum ipsum intrinsecè, & essentialiter, non vero extrinsecè, siue terminativè, aut per modum obiecti complectitur: tum etiam quia perfectio luminis gloriæ hac ratione magis crescet, ut potè quod nos immediate, & non solum media alia qualitate à se producta Deum faciet videri, nosque beare: tum demum ne sine necessitate multiplicentur entitates.

Rursus

152 Rursus idipsum antecedens suadet ex B. Thom. 1. p. quæst. 27. art. 2. ad 3. ibi *sicut alia forma intelligibiles, quæ non sunt suum esse, uniuntur intellectui secundum aliquod esse, quo informant ipsum intellectum; & faciunt ipsum in actu; ita diuina essentia unitur intellectui creato, ut intellectum in actu, per seipsum faciens intellectum in actu.* Hæc ille: ex quibus sic argumentaberis: visio Dei est quæ immediatè facit Deum intellectum, visumquè in actu: at essentia diuina, iuxta B. Thomam, ubi paulo suprà, facit immediatè per seipsam Deum intellectum in actu: ipsa ergo adiuncto lumine gloriæ est intellectio ac visio Dei Beatifica.

153 Præfata tamen sententia Thomistarum mihi omnino displicet. Proinde ad quæstionem tituli capitis præfixam aliter respondeo, responsionemque nonnullis assertionibus trado. Assero ergo primo. Nullus intellectus creatus de facto intelligit sine Verbo: nullus item sensus internus, aut externus cognoscit materialiter sine obiecti cogniti specie, aut similitudine expressa, tamen in sensibus, præsertim externis, ea similitudo haud dicitur propriè Verbum, ob rationes capite præcedenti perstrictas. Ita Suarez, Valquez, Molina; Conimb. Hurtadus & communiter ceteri Auctores nostri, necnon etiam ex Scotistis, & nominalibus, non pauci. Probatur autem: quia omnis intellectus creatus producit cognitionem quamvis suam: cognitio autem producta ab intellectu est Verbum: omnis igitur intellectus creatus intelligit producendo verbum, ac proinde nullus sine Verbo intelligit. Minor est perspicua: quia cognitio utique passiva, qua de loquimur, est similitudo, ac representatio; consequenterque cognitio producta ab intellectu est representatio, ac similitudo producta à facultate intellectiva, adeoque Verbum.

154 Maior autem argumenti suadet. Primò quia voluntas amorem Dei supernaturalem, quo disponitur ad iustificationem, efficienter in se producit, nec respectu eius se habet merè passivè, ut definitum est à Concilio tridentino sess. 6. Can. 4. Quemcumque ergo alium amorem voluntas tum humana, tum quævis alia in se efficient: similiter ergo omnis intellectus creatus intellectionem quamvis suam in se efficit. Secundo quia cætera causæ creatæ non intellectuales producunt efficienter in se perfectiones suas immanentes, v. g. ignis calorem, aqua frigiditatem, quibus gaudet, & sic in aliis: cur igitur intellectus omnis creatus intellectionem suam, qua perficitur, immanenter non efficit? Tertio quis neget, intellectum omnem creatum intelligendo vivere Physicè, ac plusquam intentionaliter? cum per motum localem, ac vegetationem intellectione longissimis intervallis imperfectiores Physicè tamen vivamus: atqui vita Physica consistit in motu ab intrinseco, siue speciali quadam effectione immanenti: immanenter ergo efficit intellectus omnis creatus id cognitionis per quam intelligit. Quartò, quia rationes aduersus eam effectionem adductæ nullius sunt momenti, ut constabit hoc ipso capite paulo infra.

155 Secundo principaliter probatur superior assertio; quia si qua ratione omnis intellectus creatus posset intelligere aliquando sine Verbo, maxime quoniam sæpè intelligit obiectum præsens, non vero absens, ut cum aut se, aut Deum intuetur: at hæc ratio est nulla, siquidem Angelus verbi gratia, Non est magis sibi præsens, dum se cognoscit, quam Deus sibi etiam ipsi: sed Deus quantumvis sit sibi intimè præsens, non tamen sine verbo à se producto se cognoscit: pari ergo ratione Angelus non sine ver-

R. P. Richardi Lyncei, Philosoph. Tom. III.

bo à se producto, atque expresso se cognoscet: par autem est ratio cuiuscunque alterius intellectus creati. Tertio probatur eadem assertio ex Beato Thoma 1. p. q. 27. art. 1. corp. ubi sic inquit: *Quicumque intelligit, ex hoc ipso quod intelligit procedit aliquid intra ipsum, quod est conceptio rei intellectæ ex vi intellectiva proveniens, & ex eius notitia procedens, quam quidem conceptionem vox significat. & dicitur verbum cordis significatum verbo vocis.* Hæc ille. Quæ autem hætenus adduximus pro necessitate verbi ad intelligendum de facto, ea omnia procedunt in sensu, eumque si rectè applicentur, haud posse sine similitudine, vel specie aliqua expressa cognoscere conuincunt.

Assero secundo: intellectio actiua, id est, in actione sita, diuinitus absque verbo reperiri non potest, nedum de facto reperitur. Assertionem probo: namque intellectio illa nequit esse alia actio præterquam actio productiua imaginis, siue similitudinis rei illius, quæ cognoscenda est: atqui imago, & similitudo expressa, siue, quod perinde est, terminans actionem immanentem est Verbum: intellectio igitur actiua est productio Verbi: cum ergo productio diuinitus reperiri nequeat absque termino producto, sanè intellectio actiua, ex quo est productio verbi, absque eo dari vllatenus nequit. Quod autem aliqui aduersarij volunt, intellectionem, de qua agimus, interdum esse actionem sine termino à se distincto, vanum est: namque intellectio illa debet esse actio producens similitudinem, & imaginem rei secum saltem identificatam, cum de conceptu essentiali omnis intellectionis sit, ut rem intellectui assimilet, ac representet: iam ergo in intellectione illa dabitur similitudo producta, atque adeo Verbum saltem ab intellectione indistinctum.

Assero tertio. Possibilis est intellectio passiva, siue qualitatiua sine verbo formaliter, & in actu secundo tali. Ratio est, quia potest intellectus noster diuinitus saltem intelligere absque eo quod producat, aut exprimat in se intellectionem, siue imaginem obiecti: quin potius respectu illius se habere potest merè passivè, ut superius manet demonstratum: at in illo euentu non daretur in intellectu passivè intelligente verbum formaliter, & in actu secundo tale; cum verbum ita sumptum sit intellectio ipsa passiva, siue imago, ac similitudo obiecti, non quæcumque, aut qualiscunque, sed in actu secundo, & formaliter expressa, ac producta à potentia vitali, quæ per eam intelligit. Rursus secundo: possibilis est intellectio veluti passiva, quæ partim in ipso intellectu, partimque in obiecto formaliter consistat, de qua suprà: sed talis intellectio daretur absque verbo formaliter, & in actu secundo tali: Verbum enim sic vsurpatum est similitudo, & imago rei ab intellectu expressa, atque producta, ea ratione qua dictum est: in intellectu autem per eiusmodi intellectionem partim intrinsecam partim extrinsecam intelligente nulla daretur similitudo, ac imago formaliter producta: nec enim intellectus, nec eius obiectum possent ab intellectu produci. Idemque esset de intellectione, quæ in obiecto, & qualitate intellectui omnino infusa, ab eoque nullatenus producta consisteret.

Assero 4. Ne diuinitus, aut per miraculum possibilis est intellectio etiam passiva sine Verbo saltem æqualiter, siue in act. 1. tali. Ita Auctor. pro ass. 1. citati ac suadet in huc modum: intellectio passiva creata est similitudo, & imago intentionalis obiecti: huiusmodi

E c 3 autem

autem imago, & etsi non sit ab intellectu producta, potest tamen ab eo produci: quia ergo ratione non est verbum in actu secundo tale, quia in actu secundo non procedit ab intellectu in alia vique rerum serie; eadem ratione erit tum verbum in actu primo, quia potest ab intellectu procedere: ac proinde sine verbo iuxta hunc posteriorem sensum sumpto, haud poterit vnquam reperiri. Quod si intellectio passiva, siue qualitas assimilans intellectui obiectum talis fingatur, aut verè supponatur esse natura, vt ne possit quidem ab intellectu produci, aut effici, sanè ea non erit verbum etiam in actu primo formaliter tale: eò nimirum quod non tantum non exprimitur ab intellectu formaliter, sed nec possit ab eo exprimi, aut produci: at erit æquiualeuter in actu etiam secundo verbum: perinde enim denominare poterit intellectum cognoscentem, eique obiectum intentionaliter præsens facere, ac si esset verbum intellectuale formaliter tale.

159 Contra secundam ac tertiam assertionem nostram vix sunt argumenta vlla, quæ solutione indigeant: si quæ autem indigent facile solui possunt ex dictis supra cap. 9. Porro contra primam assertionem nostram, postremamque ea tantum militant argumenta, quæ pro sententia Thomistarum ad initium huiusmodi capitis proposita sunt. Ad quorum primum respondeo, cum obiectum aliquod sensu externo percipitur, esse quidem eo ipso præsens sensui illud percipienti, idque per seipsum: similiterque cum intellectus creatus seipsum, aut Deum cognoscit, intueturque, similem, imò maiorem interuenire præsentiam obiecti: ceterum præsentiam hanc obiecti, quod per sensum externum percipitur, vel per intellectum, esse pro priori naturæ ad cognitionem, non præsentiam intentionalem, sed tantum physicam, & localem: ac proinde opus esse verbo, aut similitudine, siue specie expressa vt sensui externo & intellectui creato, quæcumque obiecta intentionaliter repræsententur, adeoque vt quæcumque ab iis cognoscantur: certo namque certius est, nihil vnquam cognosci, sine obiecti præsentia intentionali.

160 Ad secundum argumentum pro sententia Thomistarum respondeo, verius esse, Deum absque verbo à beatis nō videri: nec verò propterea erit, vt ab eis non videatur immediatè: namque verbum vt cap. sequenti constabit haud deseruit ad cognitionem Dei clarā, aliamve vllam tanquam obiectum prius cognitum, sed tanquam ratio formalis cognoscendi: quare tamen si Deus ab intellectu beati videatur non sine verbo, haudquaquam hoc obstat, quominus ab eo immediatè videatur: non aliter ac materia immediatè vnitur formæ substantiali, quantumlibet modus vniōnis mediet inter vtramque veluti ratio formalis vniendi.

161 Ad tertium, & quartum argumentum respondeo, Augustinum, & Thomam loqui de similitudine obiectiua, in qua scilicet prius cognita Deus cognoscatur: & hanc solam similitudinem eos negare in beatis Deum intuentibus: hinc autem non fit ab eis in intellectu beatorum negari verbum quippe quod non est similitudo obiectiua, vt dictum est, latiusque dicitur infra: sed similitudo formalis intentionalis, siue ratio intentionaliter assimilandi inter se rem cognitam, & potentiam cognoscentem; nec quæcumque ratio, sed expressa, & producta immanenter à potentia, quam obiecto assimilatur.

162 Ad quintum argumentum respondeo concessā maiori, & negatā minori, in qua negatur beatos immanenter efficere visionem beatificam. Prima au-

tem eius minoris probatio nulla est: nam à principio multi, inter quos Pater Vasquez tom. 1. in 1. 2. quæstione 3. artic. 2. disputatione 9. cap. 6. numero 33. negant lumen gloriæ esse imperfectius visionem beatificam: quod ita sit, an secus, in præsentia non definitio, at disputandi gratia verum esse transeat: certè quamuis talis sit, nihil obstat nostræ sententiæ: siquidem intellectus humanus vi naturali nequit efficere calorem, & tamen efficit naturaliter intellectionem calore perfectiorem: voluntas etiam nostra non efficit, sed tantum recipit habitum charitatis; & tamen vt ex Tridentino præmonitum est, efficit in se amorem supernaturalem Dei habitum charitatis iuxta aduersarios perfectiorem: homo item non potest volare, & tamen potest discurre, quod est perfectius: mille alia id genus: quæ cum ita sint, cur beati lumen gloriæ imperfectius visionem tantum recipientes, non possint tamen visionem, quamuis lumine illo perfectiorem, efficere?

163 Secunda probatio eiusdem minoris non est magis momentosa: namque absurdum non est, iustos in patria efficiendo suam visionem beatificam eo ipso se beare, minus principaliter vique, & ita vt à solo Deo tanquam à causa principali becentur: quo etiam pacto in via se sanctificant iuxta illud Ioannis Epist. 1. cap. 3. *Omnis, qui habet spem in eo, sanctificat se.* Tertia etiam probatio eius minoris non virget: neque enim beati alias actiones suas ideo possunt cohibere, quia sunt earum causæ effectiue qualescumque, sed præcisè quia illarum sunt principia efficientia libera: at visionem beatificam efficiunt quidem, sed tamen non liberè: quanquam ergo eam efficiant, non propterea consequens est, vt Deum videre, si velint, possint. Postrema probatio minoris à nobis negatæ cæteris efficacior non est: etenim vt præmiantis proprium est magis principaliter ad præmium concurrere, ita & præmiati esse potest illud instar causæ minus principalis efficere: quis enim neget, Deum merita meritis cumulare, & præmiare? at ad merita supernaturalia quæ aliorum supernaturalium, & antecedentium præmia de congruo sunt, ipsemet homo efficienter concurrat, in confortio vique Dei magis principaliter ad ea concurrentis.

164 Ad sextum, & vltimum argumentum respondeo, visionem beatificam esse entitatem mediam inter intellectum illustratum lumine gloriæ, & eius obiectum, nec consistere in aggregato prædicti luminis, & obiecti. Ad primam probationem contrariam dicendum est, possibilem quidem esse cognitionem in obiecto, & qualitate ab intellectu tantum recepta formaliter sitam: quominus tamen eiusmodi credamus esse de facto visionem beatificam, faciunt, quæ superius adduximus in probationem primæ assertionis nostræ. Atque vt ea huc breuiter applicemus, an quia possibilis est amor liber supernaturalis partim in obiecto, partim in qualitate voluntati intrinseca, ab eaque proveniente consistens ob id censendum est, talem esse amorem liberum, quo Deum nunc supernaturaliter amamus: an item quia possibilis fortè est calor in subiecto, & qualitate aliqua formaliter situs, iudicandum ob id est, talem esse calorem, qui modo existit, & non potius aliquid à subiecto realiter adequatè distinctum? par ratio est frigoris, & similibus accidentium. Quid multa? esto possint beati non viuere physicè per visionem Dei; quod tamen de facto per eam viuunt, exploratum est: non autem ita per illam viuere, si, vt potest ea consistere in aggregato

aggregato luminis gloriæ & obiecti, ita de facto in illo consisteret.

165 Nec refert quod ita constituta argueret maiorem perfectionem, tum in seipsa, tum in lumine gloriæ: in se, quia in ratione visionis includeret intrinsecè Deum: in lumine gloriæ, quia lumen hoc immediatè, & per seipsum saltem inadæquatè bearet formaliter: non inquam hoc refert: quia non omnis maior perfectio essentialis possibilis concedenda est visioni beatificæ: sicut nec omnis intensiva possibilis ei conceditur, ut omnibus est in confesso. Nec momenti etiam est quod obicitur, multiplicari à nobis entitates sine necessitate: quod enim necessarium sit adstruere visionem entitatiuè, & essentialiter mediam inter lumen gloriæ, & eius obiectum, satis superque probant rationes à nobis supra adductas inter probandam primam assertionem nostram iam citatam.

166 Ad alteram probationem negati antecedentis ex B. Thoma adductam dicendum est, essentialiam diuinam facere se videre; & quidem id facere immediatè, & per seipsam; at in genere causæ efficientis, non vero verò in genere causæ formalis, & intrinsecæ: hinc autem solum colligi, quod ipsa gerat immediatè munus speciei impressæ, nec media vlla alia à se distincta efficiat visionem, non verò quod eius sit constitutum formale immediatum, & intrinsecum in consortio luminis tanquam alterius veluti partis: de hoc enim ne verbum Angelicus præceptor eo loci. Fateor tamen quam sexto argumento supra viam aperui ad defendendum Deum de facto videri sine verbo non esse omninò improbabilem, sed potius esse multò expeditiorem iis, quæ hætenus à Thomistis sunt excogitatæ: at ne ei viæ quamuis minus intricatæ insitendum puto, sed potius planam communemque nostrorum Beatis verbum concedentium sententiam tuendam existimo.

C A P V T XIV.

An in Verbo veluti in speculo res necessario, & essentialiter debeat intelligi.

167 **N**ON debere; nec aliud esse verbi munus, quam ut sit ratio non obiectiua, sed formalis cognoscendi obiectum, illudque potentia intentionaliter assimilandi, haud aliter ac vnio physica materiam vnit formæ tanquam ratio formalis vniendi magis quam ut terminus vnionis à se distinctæ, tuentur Suarez, Molina, Vasquez, Valentia, Hurtadus, & reliqui nostræ scholæ Auctores: quorum sententiam ut magis veram, magisque probabilem ipse amplector. Primò, quia verbum nostrum est formalissimè intellectio, ut supra non solum ratione, verumetiam auctoritate Augustini, Anselmi, Damasceni, ac Thomæ fusè ostendi, cum meam de natura intellectiois sententiam explicarem: verbum autem non terminatur ad seipsum, sed immediatè ad obiectum, nec sui, sed obiecti similitudo est, ut vel aduersarij fateantur: intellectio igitur ad obiectum immediatè, & non prius ad verbum terminatur. Quod si de intellectioe actiua, non tam in verbo quam in eius productione sita, sermo sit, eiusmodi intellectio id intelligit, cuius imaginem exprimit, ac producit, cum ea ratione intelligere rem nihil aliud sit quam eius exprimere, & producere imaginem: atqui intellectio illa actiua siue actio intellectiua per se loquendo non producit in intellectu imaginem ipsius imaginis, sed imaginem solius obiecti, hominis, verbi gratia, si hic

illi proponatur: hominem ergo, non eius imaginem, verbumve intelligit.

168 Præterea intellectus est facultas longissimis interuallis perfectior visu, & quouis alio sensu exteriori: at sensus exteriores de plerorumque aduersariorum sententia ad obiecta sua cognoscenda similitudine aliqua expressa prius, aut si manis, concomitanter cognita non egent: à fortiori ergo intellectus simili similitudine, siue verbo ad cognoscenda sua obiecta minimè indigebit. Et quidem non conspicio cur sensus exteriores immediatè obiecta sua attingant, intellectus vero iis subtilior ad sua etiam obiecta non possit immediatè, & absque interstitio verbi prius cogniti penetrare.

169 Vltèrius voluntas amat rem quamcunque immediatè, & non in aliquo obiecto prius amato, eiusque affectum terminante, id, quod ipsi Thomistæ non diffidentur; ac nulli non esse debet in confesso: quis enim, ut Deum amet, creaturam sibi prius amandam necessariò proponat, quasi Deum amare non posset, nisi in obiecto creato eum amaret, cum potius, ut Deum amare possimus, nihil vtilius sit, quam ut amorem nostrum à creaturis auertamus? Quemadmodum ergo voluntas immediatè amat obiectum extra se positum, & non in aliquo termino sibi intrinsecò, ac prius amato: ita similiter absque immanenti aliqua similitudine à nobis cognita, res extra collocatas intellectu percipere poterimus.

170 Post hæc: sicuti verbum de aduersariorum sententia immediatè, & non in aliquo medio ad rem verbo manifestam fertur, cur etiam cognitio, siue sit verbum, siue non, ad rem cognitam immediatè non feratur, eamve immediatè cognitam non denominet? Tandem: quoties duo obiecta non æquè primo, sed potius alterum in altero cognoscimus, id facile animaduertimus, atque experimur: quis alium in speculo intuens intuitionis suæ inscius esse, aut num immediatè, an verò mediatè, & in speculo eum videat, ambigere possit: at cum Petrum, v.g. absentem cognosco, eum in verbo, tanquam in speculo obiectiuo, & similitudine prius cognita à me cognosci non experior: quin potius aut nihil, aut certè eum immediatè mihi innoscere experientia mihi constat: constantissimè ergo tuendum est, res etiam absentes in verbo prius cognito minime à nobis cognosci.

171 Ast oppositum communiter tuentur Thomistæ cum Caietano, Capreolo, & Ferrariensi. Adducunt pro se primò Beatum Thomam quæst. 4. de veritate art. 1. ibi: unde verbum interius est ipsum interius intellectum: & art. 2. ibi: *Verbum intellectus nostri secundum cuius similitudinem loqui possumus de Verbo in diuinis est id, ad quod operatio nostri intellectus terminatur, quod est ipsum intellectum, quod dicitur conceptio intellectus.* Eodem modo loquitur quæst. 9. de potentia art. 5. & cap. 1. super Ioannem, & lib. 4. contra gentes cap. 11, & in primum distincti. 27. art. 2. & 1. p. quæst. 34. art. 3. cuius verba his in locis ferè omnia supra laudauimus, cum nostram de natura intellectiois traderemus sententiam. Alia etiam eius testimonia assert Capreolus in 1. dist. 27. quæst. 2. ad initium.

172 Verum B. Thomas nil tale de verbo tradit, quale eius asseclæ comminiscuntur: etenim, cum docet intellectioem nostram ad Verbum terminari, non vult eam cognoscere verbum, sed illud duntaxat producere, eoque medio cognoscere solum obiectum: cum autem locis allegatis inquit, verbum esse intellectioem intellectam, nequitiam vult verbum ipsum intelligi ut quod, siue esse obiectum cognitum, sed